Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ostendit maiestatem suam in gente peccatrice. Convertimini iam peccatores
et facite iustitiam coram deo. credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.
Ego autem et anima mea in deo letabimur. Benedicite deum omnes electi eius.
agite dies letitiae et confitemini illi. Iherusalem civitas dei castigavit te
dominus in operibus manuum tuarum. confitere deo in bono tuo. et benedic deum
seculorum. ut reedificet in te tabernaculum suum. et revocet ad te omnes captivos.
et gaudeas in omnia secula seculorum. Luce splendida fulgebis. et omnes fines
terre te adorabunt te. Nationes de longinquo ad te venient. et munera
afferentes adorabunt dominum in te. et terram tuam in sanctificatione habebunt.
nomen enim magnum invocabitur in te. Maledicti erunt qui contempserint te. et
condempnati erunt omnes qui blasphemaverint te. et benedicti erunt qui
edificaverint te. Tu autem letaberis in filiis tuis. quia omnes benedicent et
convertentur ad dominum. Beati omnes qui diligunt te. et qui gaudent sup
pace tua. Anima mea benedic dominum. quoniam liberavit iherusalem civitatem
suam. Be[n]atus ero. si fuerint reliquie seminis mei ad videndam cla
ritatem iherusalem. Porte iherusalem ex saphiro et smaragdo edificabuntur. ex lapi
de pretioso omnis circuitus murorum eius. ex lapide mundo et candido omnis
platee eius sternentur. et pruinos eius alleluia cantabitur. Benedictus dominus
qui exaltavit eam. ut sit regnum eius in secula seculorum sup eam Amen.

Et postea quam illuminatus est vixit annis quadraginta duobus. et vidit
filios nepotum suorum. et completis annis centum duodecim. sepultus est
honorifice in Ninive. Quinquaginta et sex annorum lumen oculorum ami
sit. sexaginta annorum recepit. Ceteris autem temporibus vite sue in gau
dio fuit. et cum bono perfectum senectutis dinem pretexit in pace. In hora au
mortis sue vocavit ad se Iobiam filium suum et septem iuvenes filios
eius nepotes suos. et dixit eis. Prope est interitus iuventutis. Non
enim excidit verbum domini. et fratres nostri qui dispersi sunt a terra israel
revertentur ad eam. Omnis autem terra eius deserta replebitur. et domus